QVÆSTIO MEDICA.

CARDINALITIIS AGITANDA DISPVTATIONIBVS IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XI. MARTII, MAGISTRO IOANNE BEAVCHESNE DOCTORE MEDICO MODERATORE.

612

An grauidis venæ ſectio & purgatio?

HOMINI mortali Deo & rerum epimetro, amica & inimica omnia, cui vitæ & ſanitatis, mortis & morbi τὰ ἀντίτροφα eadem principia, eædem cauſæ ſunt: illi Deus per Angelos, Dæmon per magos, Cœlum per influxus, Elemēta & Miſta per qualitates morbos inuehunt, vel plethoræ, vel cacochymię, vel vtriuſque interuentu. Ab iis morbi omnes intùs geniti triplicis generis fiunt. A morbis mors præternaturam, niſi natura ſuccurrat aut eius vicem gerens Medicina artium ſaluberrima & nobiliſſima. Communis plethoræ & cacochymiæ remedium vacuatio ſpontè vel arte procurata. Ars naturæ ſimia & aliquādo victrix plethorę phlebotomia, cacochymiæ catharſi, vtroque generoſo remedio plethoræ cacochymicę medetur. A venę ſectione ſemper auſpicando, vbi par vtriuſque neceſſitas, ſola viriū habita ratione, ætatis nulla penè, ſexus, tempeſtatis, ſyderum, habitus, temperamenti, grauiditatis.

PHLEBOTOMIA omnes humores ex vniuerſo corpore detrahit citra delectum. Catharſis vitioſos cum delectu, hâc illa omni tempore & morbo tutior, iucundior & celerior, in plethora cacochymica prior & præſtantior, non ad curationē dumtaxat, ſed & ad præcautionē. Celebratur ex arteriis multis & venis omnibus, prout pars affecta & affectus exigūt, quos vel ſola plethora aut cacochymia vel plethora cacochymica commiſerunt quales ſunt phrenitis, angina &c. diarrhoea, dyſenteria, cholera morbus & febres omnes etiam à nimia venere profectæ, hydrops, lethargus. Catharſis admoto aut aſſumpto medicamento eluendę cacochymiæ, bilioſæ, atrabilariæ, pituitoſæ, ſeroſæ, putà cachexiæ, tergemino hydropi, ventriculi cruditati, lienis ſcirrho, vtroque ictero, vtilis.

ATQVI mulier vtero gerens humorum plenitudine & vitio turgens omnibus præternaturam affectibus plerumque toto grauiditatis tempore cruciatur: menſtruo enim ſanguine diutiùs ſtagnante nec in fœtus pabulum aſſumpto vteri vaſa excrementitio ſucco oſſercita eum & in alia vaſa regerūt & per quandam γαυσίωσιν in muſculos rariore quàm in viris carne conſtātes, non ſine incredibili ſpontaneæ laſſitudinis dolore, vaſorū tumore æquabili, grauiori reſpiratione, ſegnitie corporis & imbecillitate, æſtuante vberius πληρώσει vterus in conſortiū trahit calamitatis partes corporis, quibus cum illi coniuncta ſunt commercia, hinc ineluctabilis καρηβαρία cæteraque corporis ſymptomata concitantur, oculorum caligines, angina (cui nidus hirundinum ludus eſt) peripneumonia, pleuritis è directo venæ ſectionem poſtulans, palpitatio cordis, ſyncope, vomitus, lienis hepatiſque inflāmatio atque obſtructio, ſuffocationes, renum lumborumque grauitates, ſynochus vtraque, hæmorragiæ è naribus & ano cæteraque ſymptomata plenitudinis argumenta.

FOETVS interim puriore ſanguinis portione allecta, deteriorem relinquit & fœculentiorem, vndè morborum ilias in fœtam deriuatur, vitioſa quippè materia cunctando calorem natiuum ſuffocat, ſpiritus ſpiſſat & obtundit, totam viciniam labefactat, viſcera obſtruit, praua qualitate corpus inficit vniuerſum, ab eodem fonte putredo manat tertianarum, quotidianarum, quartanarum (quæ nullis profligātur amuletis) parens, tenſio inſuper hypochondriorum, color totius corporis plumbeus & cum virore pallidus, anorexia, cardiogmos, pica, oxyrogmia fallax frigiditatis nota, frequentes ructus, muſculorum ſubſultatio, vagi artuum dolores, tumores pedum œdematoſi, eryſipelata, ſcirrhi, carcinomata, varices, non prorſùs ſecandæ ſed aperiendæ, atrophia, cachexia.

HIS monſtris matri & fœtui perniciē minantibus vis occurrere? plethorā phlebotomia, cacochymiam carthaſi eliminare ne reformides, niſi cauſam tollas, nihil proficies; quamdiu ſanguinis copia, febrilis ardor, ſyſtrophica viſcerum inflammatio, incendium vteri manebit, tandiu morbus. Venę ſectio ſingularis antidotus & manus Dei eſt, etiamne primis, medijs & vltimis menſibus, etiamne inſtante partu? quidni, ſi vires ſuſtinēt. Hæc quovis apozemate potentiùs refrigerat, putredinem quo vis bezaardico lapide certiùs emendat, fœtúmque in vtero (quidquid murmuretur) retinet, Iaſpide ad collum appenſo validiùs, aut aetite ad brachium alligato: catharſis aliud remedium eſt quovis etiā grauiditatis tempore opportunū, modo coctio materiæ & præparatio, (qua tenues humores non egent) prægreſſa fuerit: quinetiam locum habebit acutorum initio, ſi materia turgeat & vrgeat, bonum quacumque hora, quacumque anni die, quocumque ſyderum aſpectu purgatione ſentinam corporis eluere, humores defœcare, ſpiritus exhilarare, viſcera refrigerare, vterum repurgare, fœtus alimoniam depurare, bonam denique valetudinem fœtui & fœtæ reſtituere.

Ergo grauidis venæ ſectio & purgatio.

59



Proponebat Lutetiæ IOANNES DVCLEDAT, Burdegalenſis Anno M. DC. XXI.